



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**Constans Defensio, Ex S. Scriptvra, Et Vera Catholica  
Doctrina, Atqve Observatione Vniuersalis Christianæ  
Ecclesiæ Deliberationis de Christiana Reformatione**

**Bucer, Martin**

**Genevae, 1613**

De pr[a]edicatione poenitentiæ 8

**urn:nbn:de:hbz:466:1-34315**

debere seuera iudicia & pœnas Dei, quarum scriptura meminit, hominibus summa religione proponere. Testatur quoque, quod etsi ad nouū Testamentum, nouūque populum dilectio & libertas Spiritus Sancti propriè pertineat, quemadmodum ad antiquum timor ac seruile spiritus, nihilominus tamen apud Christianos quoque timorem ac seruitutem Spiritus inueniri, quamvis dilectio & libertas spiritus precellere debebant. Sic quando Liber dictum Pauli, Lex iram operatur, tractat, manifeste docet, Concionatores debere ex lege ingentem iram Dei, & horrendas pœnas, quas peccatis minatur, diligenter hominibus propone, eoque terrore intolerabilis iudicij & grauissimarum pœnarum Dei, à peccatis absterrere, & ad pœnitentiam impellere. Sic in aliis quoque locis docet. In quo contrarium omnino & diuersum ab eo docetur, quod Aduersarij præter omnem veritatem Libro Reformationis adscribunt. Seruilem enim timorem, hoc est, metum pœnarum, ad pœnitentiam requirit, atque idcirco bonum, & suo modo ad pietatem conducentem agnoscit. Quod vero propterea salutaris pœnitentia non filiale quoque timorem requirat, hoc est, metum ac solitudinem, ne quo modo offendatur Dominus, aut quicquam contra eius voluntatem admittatur, qui metus ex vero filiali amore existit, ne ipsi quidem Aduersarij dicent. Etenim vera peccatorum pœnitentia, verè fidelem quoque reuersionem ad Deum postulat: quæ sine horrore, pudore, & anxietate de peccatis fieri non potest, quod homo Deum charissimum Patrem ac Seruatorem suum contempnit atque deseruit: qui timor filialis dicitur.

## Accusatio Septima.

## De prædicatione Pœnitentie.

## C A P . VIII.

**A**D VERSARIUM tria reprehendunt in hoc articulo, Primum est, Librum Reformationis nullum statuere discriminem inter Prædicationem pœnitentie, quæ fieri debet iis qui iam primum ex impietate ad Christianismum vocantur, & illam quæ sit Christianis, quando post baptismum aut iustificationem acceptam, denuò lapsi sunt in peccatum. Alterum, quod eam tantum pœnitentie Prædicationem doceat, quæ fieri debet infidelibus: eam vero quæ ad fideles quoque fieri debet, tacite prætermittat. Tertium, quod nullam doceat Satisfactionem, quæ tamen ad Pœnitentiam fidelium requiratur.

## Responsio.

**C**hristus Dominus dicit, ut de vera Pœnitentia omni ex parte serio queramus, & nulla erit de hoc Articulo controversia.